



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistola Pastoralis Illustrissimi Ac Reverendissimi Domini  
D. Humberti Guilielmi A Præcipiano, Archiepiscopi  
Mechliniensis**

**Precipiano, Humbert Guillaume de**

**Lovanii, [1692]**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-39186**




M. 498.

D. 1  
37  
40.









EPISTOLA  
PASTORALIS  
ILLUSTRISSIMI

A C

REVERENDISSIMI DOMINI

D. HUMBERTI

GUILIELMI

A PRÆCIPIANO,

ARCHIEPISCOPI

MECHLINIENSIS,

Super præcipuis Ecclesiæ Belgicæ turbis;

*Per alios quoque RR. ejusdem Provincia Ordinarios  
Adoptata, ac à Summo Pontifice laudata,*

J U S S U

MARTINI STEJARTII

*Vicarii Apostolici Silvæducensis*

*In forma minore & majore cum distinctione edita.*

E D I T I O I V.



L O V A N I I,

Typis PETRI DE VADDERE prope Coll. Leod.



EPISTOLA

PASTORALIS

ILLUSTRISSIMI

A C

REVERENDISSIMI DOMINI

D. HUMBERTI

GUILLELMI

A PRÆCIPUANO,

ARCHIEPISCOPI

MESENSEN-  
SIS

ad prædicandum in ecclesia

et in parochia R. civitatis

Meßenensis, ac in omnibus

PARTEBUS

MARTINI STEPHANI

et aliorum

sanctorum et in tota

EDITIONE



JOHANNES

THEOPHILUS



**M**

ARTINUS STEJARTIUS Vicarius Generalis Apostolicus Diœcesis Silvacensis, & Majoris Collegii Theologorum Lovanii Præses, Clero & studiosæ Juventuti ejusdem respectivè Diœcesis ac Collegii, Salutem in Domino.

*Zelus quem in Illustrissimo & Reverendissimo Domino Archi-episcopo nostro, ore Apostolico laudatum videmus; quisque proinde zelus esse noscitur secundum scientiam, cum aliter laudari minimè mereretur; hic, inquam, zelus in Epistola Pastoralis Zelosi istius Antistitis doctissimè juxta ac gravissimè nec non eloquentissimè expressus, laudem à Nobis aliam non requirit, sed imitationem. Hanc igitur Epistolam tam reverè Pastoralem, tam his temporibus utilem, sicut Illustrissimus ejus Author pro suorum utilitate in sua Archi-diœcesi publicavit; ita & eandem in Capita titulosque distinctam ad utilitatem vestram denuò publicandam duxi: non tam ut è vobis eliminentur mala, quæ illà tam sapienter fortiterque profligantur (vix siquidem Vos ista, laus Superis, attigerunt) quam ut eadem ad vos numquam irrumpant, neque aliquando doctrinis istis novis & peregrinis vos sinatis abduci. Ad hoc Pater luminum custodiat corda vestra & intelligentias vestras, uti ex animo apprecor, Lovanii è Collegio Nostro Majori XL Kalend. Novembris 1692.*



## TYPOGRAPHUS LECTORI.

**V**ix priùs vidit Illustrissimus & Reverendissimus *Ruræmundensis Episcopus* EPISTOLAM PASTORALEM MECHLINIENSEM à me in gratiam *Diœcesis Silvæducensis* reimpressam ; quam voluit idem quoque fieri pro *Diœcesi* sua, quæ ejusdem *Provinciæ Mechliniensis* pars est. Fieri ergo id postulavit, datis ad Virum Academicum Literis propriâ manu à Se scriptis & signatis. Quod ut eò citiùs exequi possem, permitte *Amplissimo Vicario Silvæducensi*, parti Exemplarium pro illius *Diœcesi*, ut dictum est, impressorum, frontem aliam apposui una cum hoc præloquio : suppleturus novâ editione, quod ita *Diœcesi* utrique deesse poterit. Fruere, Lector, zelo Præpositorum tuorum, nostroque labore, & vale.

Lovanii 12. Novembris.  
M. DC. XCII.



# HUMBERTUS GUILIELMUS

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archi-episcopus  
Mechliniensis, Primas Belgii, &c. omnibus  
Archi-diœcesis Nostræ Archi-presbyteris,  
Pastoribus, &c. Salutem in Domino.



**V**T primùm placuit Divinæ Pròviden-  
tiæ humeris nostris sub minori pon-  
dere tantum non fatiscantibus gravio-  
rem sarcinam imponere, mox decre-  
veramus (quandoquidem omnes &  
singulos, qui in partem curarum no-  
strarum vocati estis, & alloqui & am-  
plecti in Domino coram non licebat)  
per communem epistolam universos  
convenire, quâ Pastoralem affectum & Paternam sollicitudi-  
nem sincerè promeremus, & sui quemque officii, dubiis hisce  
& periculosis temporibus commonefaceremus, aut currenti-  
bus ut aiunt, & in commisso sibi grege tuendo vigilantibus ad-  
deremus calcar: ita suadebat Decretum Synodi Mechliniensis  
II. \* ita muneris nostri ratio; ita Sanctissimorum ac Sapien-  
tissimorù Præsulum exemplum. At ingruentium negotiorum  
mole pressi hactenus non potuimus tã salutaria consilia exe-  
qui. Et potuisset videri forè nonnullis status rerù Diœcesis  
nostræ nobis non satis perspectus, si statim scripsissemus. Famã  
duci nos, & rumoribus malignè sparsis jactasset quispiam,  
quam

\* Titulo 16. Cap. 2.

quamquam non petitis è longinquo. Nunc postquam diligenti studio, consultis omnis generis, atque Ordinis gravissimis viris, partium affectu liberis, deque felici Ecclesiæ statu sollicitis, explorata & comperta sunt omnia, non videbimur temerè & injustè nonnulla in quibusdam desiderare, interdum etiam queri vel de innovata & corrupta Ecclesiastica disciplina, vel de contentionibus & diffidiis, quæ quotidie magis & magis gliscunt, fatanâ novam semper materiam ferente, & interspersis felici tritico zizaniis agrum Dominicum deformante.

Sanè quantum dolorem in animis nostris hæc velut Civilia & fraterna bella creant, tantum inter vicinos Heterodoxos plausum excitant & lætitiâ, dum mutuis nos vulneribus fatigari jactant, & alternatâ strage rapi præcipites. Neque jactant ex vano. Audiunt penè indices cani classicum: libellos legunt amarulentiâ plenos, quibus Catholicum nomen scinditur, nescio quo prætextu pietatis & religionis reformandæ titulo, nihil nisi odium spirantes atque vindictam. Vident aram aræ oppositam, & crucem cum cruce ceu infesta signa concurrere. Hanc animorum tam fatalem discordiam quam magno mercatam velint ipsi, sponte suâ nasci, foverique gaudent, quando interim altâ fruuntur pace, non fruituri, nisi nos dissentiremus inter nos. Ut expavescerent, si mutatis consiliis, junctis viribus, animisque sociatis rueremus in excidium inimicæ gentis, & accepta cœlitus dona, & quæsitâ studio, & industriâ aucta impenderemus justis bellis, & triumphum aliquando merituris! Nunc abutimur ingenio, litteris abutimur, otium terimus, vires consumimus, & post omnia non nisi de fratribus victis oppressisque gloriamur.

Jam spes crescit Hæreticis, animisque inflantur, cum nonnullos videant ex iis, qui se Catholicos profitentur, indices minus & minus à suis placitis abhorrere; de Romani Pontificis auctoritate contemptiis & sentire & loqui; Ecclesiam sui illis temporis vilescere, nihil suspirare nisi antiquam; disciplinam Ecclesiasticam non tam reformandâ postulare, quam privatâ authoritate invertere; iisdem armis uti, quibus usi fuerint majores sui, iisdem pugnare artibus, quamquam minori cum violentiâ, & majori cum vafricitie, quibus illi depugnaverint; Religiosas familias, quas ipsi semper experti sint infestiores,

magisq; habeant invisas, atrocibus calumniis incessi, & tantum non obrui; è Clero viros novitatum olores, antiquæ disciplinæ retinentes nihilo excipi clementius; suis deque verti paulatim omnia. Ex hisce tot malis magnam augurantur ad suas partes mox factum iri accessionem.

Interim Catholici nominis imperitum vulgus studia in contraria rapitur, aut hæret incertum, quibus se potissimum Doctoribus addicat, dum probant hi quod improbant isti: dum velut salutarem doctrinam ac divinitus datam instillari audiunt ab his, quam velut animorum toxicum ac certissimam perniciem execrantur isti, & execrandam monent. Quid agat infelix multitudo, cui non satis est in grandibus Religionis Arcanis discernendis iudicii? Quò se vertat? quos potissimum sequatur vitæ duces ac magistros? Hos audit pingi ut Hæreticos, ut motum corruptores, ut Sacrorum profanatores ab illis, illos ab his.

Hærent ut plurimum consilii inopes pii Fideles, quoties frequentem cibi Eucharistici sumptionem commendari audiunt, ut habebant à majoribus suis commendatam, tamquam alendæ in Deum pietati, & charitati unicè necessariam; rursus deterreri se à nonnullis intelligunt, tamquam ab ancipiti & plena periculi medicina, nisi adsit animus terrenis liber affectibus, & humanâ imbecillitate quodammodo altior. Adducuntur utrimque argumenta & SS. Patrum testimonia speciosis deducta coloribus, quibus fucum detrahere non est nisi Eruditorum.

Neque minùs ambigunt aut affliguntur incerti animis, quoties à sacris Tribunalibus repelluntur tamquam indigni veniâ, tamquam destinatæ orco victimæ, & à secunda post naufragium tabula dejiciuntur, Sacramenti fructu frustrati, à Sacerdotibus præscam severitatem professis; quando interim nullâ factâ mutatione, expositâ eodem modo lapsuum suorum serie, non aliter proposita morum emendatione, eadem præmissâ doloris testificatione, ambabus ulnis admitti se vident, ventæ que donari ab iis, qui non minùs matris suæ senescentis auctoritatem venerantur ac suspiciunt, quàm primam nascens incunabula; si tamen tum tam austera fuit in occultè reos, quàm nobis adumbrant ætatis nostræ Severitæ. Quibus habebunt fidem poenitentes, quando hi veræ Poenitentiaæ  
ac

ac salutaris respicientiæ difficultatem mirum quantum exaggerant; elevant, & attenuant isti, pauci auream mediocritatem servant? Hi poenitentiae opera vitaeque emendationem praemitti veniae volunt; istis fatis est, si consequantur? Hi multas à reis exigunt graves, duras, diuturnas: leviores illi, humanaeque imbecillitati accommodatiores? Mutuam hinc atque hinc nonnulli incautiùs, ne graviore utamur verbo, peccata condonandi, aut veniae suspendendae praxim vellicant, admordent, calumniantur?

Haud minor oboritur in animis perturbatio, quoties percipiunt Sanctissimae Virginis Dei Matris cultum, in quam affectum quemdam tenerum cum ipso lacte suxerunt, Parentibus & Institutoribus sollicitè inculcantibus, nunc obliquè perstringi: Imagines viliori loco haberi: Peregrinationes voti causam susceptas tacitè rideri, aut Erasmi inficetis, nec satis Christianis salibus aspergi: pios coetus aut sodalitia in Virginis honorem erecta, vel privatis colloquiis, vel editis sine nomine libellis proscindi: dum eadem omnia priscae pietatis tenaces alii tuentur ac vindicant, perque haec ut avorum memoria, sic & nostram, Catholicos ab Heterodoxis, tamquam certam notam seu criterio secerni volunt.

Quod de cultu Virginis, caeterisque in eam pietatis Officiis jam diximus, de cultu Sanctorum, Adoratione imaginum, ac venerabilium Reliquiarum dictum quoque esto. De his quoque nonnulla temerè differi scribi que, & populum novitatis hujus impatientem concitari, plus quam nimis compertum est, quid quod nonnulli eo processerint audaciae, ut communicata cum piis Fidelibus Christi ac Sanctorum merita ex Ecclesiae thesauro, cujus depositarius est Romanus Pontifex, sive sacras, ut loquimur, Indulgentias & libellis sine nomine editis, & interdum etiam pro concione, multò saepius in colloquiis privatis, vel flocci faciant, vel Christiani populi justè collocatam in iis fiduciam redarguant penè ut supersticiosam aut inanem? Quid quod repertus est non nemo, qui usitata Catholicos inter in mortuorum solatium sacrificia obliquodente arrodere non sit veritus, ac si plus levaminis ex iis habeant Sacerdotes ipsi in suis tricliniis accepto stipendio, quam mortuorum animae in piacularibus flammis?

Hanc temeritatem jure merito castigant sanioris Theologiae

logiæ Patroni, & adversus hoc virus salutare offerunt antidotum. At interdum avidius venenum bibitur, quàm potio saluifera. Plures pestifer halitus afflat, quàm sanioris auræ spiritus recreet. Lolium & avenæ steriles, herbæque aliæ vel noxiæ, vel inutiles nullo serente, nullo curante crescunt: triticum sæpè sedulam cultoris spem & industriam eludit. Ita pars bona simplicis vulgi, nihilque fraudis suspicantis sensim sine sensu à Patrum suorum institutis deficit, ut est multitudo novarum rerum cupida: pars aut indolis & ingenii quâdam felicitate, aut animarum Curatores magis integros nacta, quati se non finit & à majorum semitis abduci: pars hæret pendens animi sacrum inter & saxum, nec statui se per se potest, quid tandem debeat amplecti.

Perturbari quoque necesse est multorum animos, quoties libros quosdam nescio quibus authoribus scriptos commendari sibi, offerri, obtrudi vident vernaculo sermone grandia mysteria, nec cuilibet vulganda complexos, à certis hominibus tamquam cælo lapsos, tamquam Spiritus sancti, si ita loqui fas est, myrothecia, tamquam limpidissimos aquarum vitalium ac saluiferarum fontes; quos alii velut ex orco erutos, velut diaboli armamentaria, velut venenatos lacus & putrida stagna, flammis dignos, damnatorum dogmatum plenos, manibus excutiunt, sine gravi flagitio & præsentis salutis discrimine evolvi non posse contestantur.

Quid pronius, quid formidandum magis, quàm ut hinc Ecclesiæ nostræ aliquando accidat, quod inter Corinthios olim evenisse multum queritur ac deplorat Apostolus, ut dum hi se Cephæ esse dicunt, isti Apollo, tandem esse se Jesu Christi obliviscantur.

Profectò hæc omnia nescio quam schismatis imaginem nobis repræsentant, proque una Ecclesia geminas: tanta est & morum, & studiorum, & affectuum diversitas; tam exacerbata & abalienata animi; tanta apparet vindictæ & nocendi cupiditas, quæ dictis & factis quotidie proditur. Utinam vanus sit multorum gravissimorum Virorum metus magnopere pertimescentium, ne crescentibus odiis, & improbandi atque innovandi libidine, exeusso tandem obedientiæ fræno, inconsutilis Christi tunica diripiatur in partes. Nostrum est pro virili nostra grassanti malo occurrere, & imminentem salutaribus

con-



consiliis dissipare tempestatem; animos dissidentes componere, ad concordiam & saniora consilia compellere; noxias herbas à salutiferis secernere; inter probam atque improbam doctrinam distinguere, ne Christiana plebs sub fallaci pietatis, reformationis, & severioris Ethicæ specie præcipitetur in exitium; pacem animis dare, & cœlesti scientiâ, quæ descendit à Patre luminum, stabilire cor.

Hunc in finem visum nobis est nonnulla in Domino præscribere, non nostro solum concepta dictu, aut spiritu, sed ex ipsis Ecclesiæ Catholicæ luminibus deprompta; præsertim quæ ultimis hisce sæculis vitæ hujus noctem atque tenebras insignibus vitæ sanctioris & doctrinæ excellentioris radiis illustrarunt atque dissiparunt: ex S. Caroli, inquam, Borromæi, & S. Francisci Salesii instructionibus ac libris, quorum alterum *plura scripsisse ad Episcoporum instructionem utilissima*: alterum *scriptis cœlesti doctrinâ refertis Ecclesiam illustrasse* monemur in annuo Ecclesiastici officii penso. Ad horum doctrinam Evangelico spiritu plenam componere atque effingere Pastoralia monita certum habemus, eundem spiritum, quem ab animarum Curatoribus sibi subjectis exigebant illi, à vobis exigere: eandem intulcare disciplinam, quæ nemini non debet esse cordi, & nulli bono potest esse gravis. Deus conatus nostros fortunet & prosperet, quæque ipsius, cui studemus unicè, tum honori, tum gloriæ potissimum serviunt, inspiret.

## C A P U T I.

### *De Authoritate Sedis Apostolicæ.*

**S**Tetur Ecclesiæ ac Pontificum Romanorum Constitutionibus & Decretis tam in dogmatis quæ ad fidem, quam quæ faciunt ad mores. Ad hanc amissim falli nesciam exigamus omnia, quæ scripturi vel dicturi sumus.

Ab his, non dicimus abire, sed vel ad latum unguem desciscere religio esto. Procul absint exceptiones frigidæ, aut veterariæ cavillationes, aut distinctiones juris & facti, sensuumque, damnatarum omnium propositionum excusatrices, quibus eorum authoritas vis ac robur eludatur. Nemo pro libidine detorqueat, aut sensus illis affingat alienos. Nec calamo, nec ore verbum ullum excidat erga Sedem Apostolicam vel  
inju-

injuriousum vel minus reverens. Pari cum voluntate suscipiamus, sive cum quædam sancit præjudicatis nostris opinionibus faventia, sive cum definit contraria. Aliàs non tam audire dicendi sumus cœleste oraculum, aut Apostolorum Principem Petrum Pontificis ore loquentem, ut audire se profitebantur olim Patres Sanctissimi, quam affectus nostros, animorumque morbos. Quem in Leone Primo venerabantur illi Spiritus sancti afflatum, nos in ejus successoribus veneremur. Non illi magis, quàm his promissus erat divinus ille spiritus, qui quos agit falli non sinit.

Ad hanc omnium animis ingerendam altius erga supremum Christi in terris Vicarium reverentiam, juverit frequenter ruminare, & profundè memoriæ insculpere melliflui Doctoris plena Majestate verba de Romano Pontifice non minus verè, quàm magnificè pronuntiantis, quod sit  
*\* Sacerdos magnus, summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Judicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus: nec modo Ovium sed & Pastorum unus omnium Pastor.*

Si personas tot atque tantas in uno Romano Pontifice cum Bernardo omnes suspicerent, si Constitutiones ejus ac decreta omnia pari alacritate & sinceritate tamquam à Spiritu Sancto dictata, tamquam à summo Apostolorum vertice divinitus perscripta, cum Patribus sextæ Synodi expansis manibus amplecterentur; nemo quidquam exciperet, cavillaretur nemo, cessaret magna ex parte contentionum, turbarum & criminationum materia: non audirentur ampliùs invidiosa nomina: evellerentur è multorum animis suspensiones sinistrae: quas nec improbables, nec injustas facit quorundam tergiversatio, Decretis Pontificum, quâ parte de libri cujusdam sensu pronuntiant, detrectantium subscribere, & cum aliqua nominis sui jactura recusantium. Non reperirentur posthac, qui dicerent sub dolosis cineribus igniculos delitescere, in funestum Ecclesiæ, nisi Deus averterit, prorupturos incendium. Hoc gravissimum mutux concordix obstaculum quid est, quo minus quam primum tollant, si sunt, quales se prædicant, genuini pacis & Ecclesiæ Romanæ filii?  
 Hanc

*\* Lib. 2. de confid. cap. 8. ad Eugenium.*

Hanc tam necessariam animarum Curatoribus erga Romanum Pontificem, Sedem Apostolicam, Ecclesiam Romanam, quam † S. Franciscus Salesius ¶ *Columnam & firmamentum veritatis appellat, quæ nec fallere possit, neque falli*, observantiam quam vestrum omnium pectoribus insitam cupimus, memores Decreti Synodi Mechliniensis II. subjectis vestris gnaviter, sedulò, constanter imprimite, incultate, inculpate, & hanc nostram mentem omnibus fideliter aperite. Pronis animis hæc vestra hortamenta excipient, ut sunt erga Sedem Apostolicam pii, & experiemini in aliis rebus omnibus vobis ipsis obsequentiores, si vos ipsi viderint exemplo obedientiæ debite prælucentes.

## C A P U T II.

### *De Libris prohibitis generatim.*

**L**ibros ab Apostolica Sede proscriptos nec penes se quicumquam vestrum habeat, nisi cui fortè justis de causis concessa est Facultas, nec in suorum manibus versari ullatenus patiatur; nedum, quod ab insigni flagitio Orthodoxus nemo excusaverit legendos obtrudat ipse, jam non bonus Pastor, sed Lupus. Quæ de re consuli possunt potissimum gravissima S. Caroli Decreta, tum in Concilio Mediolanensi I. tum in \* III. condita; ubi SS. Præsul gravissimis pœnis sibi subiectos adigit, ut ejusmodi libros, si qui fortè nacti fuerint, mox in manus Episcopi, aut pravitatis Hæreticæ Inquisitoris consignent. Et sanè nihil potuit statui equius. Quid enim tantopere depravat hominum mentes, quam librorum noxiorum lectio? Non aliundè faciliùs perniciosæ doctrinæ venenum bibitur, nec altiùs subit incautorum animos: præsertim cum non propinetur apertè, sed miro cum artificio, & sub obscura quadam ambage verborum, quæ plurimùm uti amant malorum mercium propolæ. Ubi regnat sæpius meretricia eloquentia quæ nihil fundit nisi rosas & lilia, quas interserpat subtiliter aconitum; ubi inter sententiarum optimarum gemmas noxius & penè inaspectibilis pulvis inspergitur, malignâ manu temperatus ad lentam, eodèque interdum certiozem, legentium perniciem. Non

† *Præfat. in libro de amore dei circa finem.*

¶ *Tit. 17. cap. 2.*

\* *Part. I. tit. 4.*

Non est autem nostrum curiosè hic excutere, quâ potissimum de causâ liber proscrip- tus sit, atque hâc ratione vel nos ipsos, vel alios fallere. Satis esto proscrip- tum esse, ut excutiamus manibus, & anguem in herba latere suspicemur, qui priusquam pedem referamus, mordere possit, & occultum animis ac letiferum venenum inspirare; multo minùsfucos ac colôres querere, quibus vel nos vel alios studeamus eximere Ecclesiasticis Præceptis & censuris lectionem ejusmodi librorum severè interdicientibus.

Non possumus dissimulare quâtopere nos affligerint hâc in parte multorum optimorum Virorum justissimæ querelæ, altè ingemescentium intolerabilem quamdam licentiam, & tantum non Ecclesiasticarum Legum contemptum, in hanc nostram Diœcesim irrepisse, quorundam hominum negligentia dicamus an consilio? Qui pro muneris sui ratione non solum non viam obstruxere irrupenti malo, verum ipsimet & verbo & exemplo dicuntur aperuisse. Neminem accusamus: malè sibi conscius facti pigeat, culpamque hanc minimè levè feriâ pœnitentiâ, & maiori posthâc cautelâ eluat, reductis etiam in viam, si quos fortè seduxerint. Quem non misereat gregum ejusmodi, ut Prophetica comparatione utamur, quos non tantum custodiunt muti canes, qui ad luporum incur- sionem præ metu latrare non ausint, sed dentibus ipsi suis quovis lupo rapaciores pecus innocuum dilacerent, in partesque rapiant! Quorum custodes ipsi custodiendi sint, ne grassentur hostiliter! Non erit injuriosus cuipiam, neque rem exaggeraverit, quisquis dixerit hisce canibus similes esse animarum Curatores istos, qui paginas vel Fidei vel morum corruptrices (tales quippè censendæ, quotquot Roma proscripserit) non solum non eripiunt, aut extorquent suorum manibus, sed ipsi ingerunt, operosè commendant, quodque est omnium pessimum, suos pro imperio ad lectionem adstrin- gunt. Infelices animæ multumque miserandæ, non Custodibus sed Latronibus commissæ, non Medicis, sed homici- dis, qui pestem, ut præ se ferunt, non arcent, sed cum cura di- vidunt, atque spargunt per familias foedissimæ contegionis Authores.

Ut huic tam præfenti malo, quod radicitùs extirpatum vo- lumus, quantociùs occurratur, utemur T. Caroli consilio  
sua ten-

suadentis, ut Episcopi regulas Indicis de libris vetitis ab omnibus servari jubeant, curentque. Illas igitur habetote vos ipsi primum vobis familiares ac sanctas, atque curæ vestræ commiſſas pro rei gravitate diligenter exponite. Ante omnes accuratius inculcanda est illa Clementis VIII. quam non gravabimur hic attexere. *In universum autem de malis & perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certâ aliquâ linguâ initio editi, aut deinde prohibiti ac damnati à Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeri ab eadem Sede ubique gentium sub iisdem pœnis interdictos & damnatos.*

### C A P U T III.

#### De lectione S. Scripturæ, item Missalis, in lingua vulgari.

**A**ltè etiam omnium animis insidere, & distinctè populis explicari volumus, quod habet regula IV. Indicis, experimento manifestum esse, si Sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri. Quare moneant & disertè edicant Sacrorum voluminum lectionem in patrio aut vernaculo sermone non esse cuilibet permissam, sed petendam facultatem à Parocho vel Confessariis, iis videlicet, qui præditi sunt hac potestate, quæ tamen non concedenda est, nisi iis, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed Fidei ac pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.

Si periculosa est hominibus indoctis, parumque perspicacibus Sacrorum Voluminum lectio, patria lingua à Catholicis probatisque Authoribus versorum, quanto periculosior erit, si suspecti homines Fideique ambigæ iis vertendis manus admoverint, & conceptum animo virus in illa subtiliter & malignè infuderint? Quanta hinc imminet ruina? Ut enim nobilissimum ciborum ac delicatissimum genus, quale erat olim apud Romanos Boletus, hodieque est, quod & facile venenum suscipit, & tegit, si multitudini apponatur, ingentem edit hominum stragem; & quia voratur avidius, & quia nullâ se parte malum prodit: ita libri quò res tractant magis pias, magisque cælestes, si contingat simili nequitix fermento esse resperſos, hoc

hoc amplius nocere nati sunt, & mentibus simplicium inferre perniciem. Vulnus quippe acceptum est priusquam perferant; quando illic nihil nisi pium, nisi sanctum, nisi divinum hauriri posse Lectores sperant.

Quare cum Sedi Apostolicæ, semper adversus omne Religionis periculum vigilantissimæ Versionem Novi Testamenti Gallicam, quam Montensem Auctoribus appellare visum est, severissimis verbis, & magnarum interminatione poenarum proscribere placuerit, damnatus ille liber Diœcesi nostrâ exulet. Nullus in eum manus deinceps aut oculum conjiciat, nisi quem exemerit constitutis illic poenis major auctoritas, & eruditio extra periculum posita. Hanc nostram mentem Pontificiæ consentientem omnibus sibi subjectis clarè enuntient, ac salutarem horrorem incutiant, si quos fortè curiosa temeritas, & novarum rerum libido in transversum abstulit adhuc.

Edicant similiter vetuisse *perpetuò* Romanum Pontificem Alexandrum VII. ne quis legere attentet Arcanum Volumen & prophanis oculis non intuendum, quod Missale dicimus, Gallico pariter idiomate versum ab hominibus res semper novas molientibus, sub poena excommunicationis latæ sententiæ. Adjiciant Papam hunc infensissimum novitatum omnium hostem severissimè in ipso brevi Auctores accusasse *temeritatis conatus*, † *quo sacrosancti ritus Majestas latinis vocibus comprehensa dejicitur atque proteritur*, ac *Sacrorum Mysteriorum dignitas Vulgo exponitur*: Appellasse hunc conatum *novitatem perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiam, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque malorum productricem*. Neque verba hæc videri cuiquam debent iusto graviora.

## C A P U T I V.

### De impressione Librorum.

**Q**Uoniam autem de libris jam agere coepimus, hæc occasione injungimus Scholasticis nostris, ut juxta præscriptum \*Synodi Mechliniensis II. perquam diligenter observent, & observari curent gravissimum Sacrosancti Concilii Tridentini Decretum sess. 4. sancientis *ut nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus*

†. 12. Ann, 1661.

\* Tit. I cap. 5.

*sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, aut ad id constitutis censoribus, sub pœna anathematis & pecunia in Canone Concilii novissimi Laterranensis apposta..... Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, iisdem pœnis subjaceant, & qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur.*

Hujus Decreti neglectum possumus jure merito primam mali labem appellare, fontem dissidiorum omnium, novitatum atque errorum seminarium. Hinc ruinam grandem trahit Christiana Charitas, dum tenebriones quidam è suis latebris impunè audent quilibet, & virorum innocentium nomen infamibus convitiis ac calumniis proscindunt, dum libros suos tamquam totidem faces adhibent ad differendum & diffundendum quaquaversus incendium. Quod si suppressere & suffocare omnes non datur, quando sexcentis manibus sparguntur, Scholasticorum tamen vigilans industria faciet, ne id in posterum fiat tam liberè, ac si nulla fuisset umquam lata lex, cum magno Ecclesiasticarum pœnarum, ac Tridentinæ Synodi contemptu. Nostrum erit flagitio dignum edere exemplum, si quis in Dicecesi nostra legis hujus post hac prævaricator deprehendatur.

## C A P U T V.

### *De cultu B. Virginis Deiparæ, & aliorum Sanctorum.*

**P**ietatem in Virginem Dei Matrem omnibus volumus esse commendatissimam: cultum ejus Fideles inter nobis subjectos promoveri, atque in dies vestrà industriâ auctiorem fieri: ejus imagines præsertim miraculis celebres frequentari, in publicis supplicationibus majorum more circumferri, accensis cereis illustrari, stas Laudibus, Litanis, precibus honorari: erecta in ejus honorem Sodalitia, aut Confraternitates earumque privilegia & immunitates Pontificum favore concessas extolli, populum ut iisdem nomen det invitari, si qui hætenus inscripti non sint: nova etiam, ubi necdum erecta sunt, erigi; ubi collapsa, instaurari. Hæc qui tangit, pupillam oculi nostri tangere se sciat, ne dicamus, qui admordet, qui convellit, qui exterminat. Pium hunc in Virginem

ginem affectum à Majoribus haustum , ne quidquam fren-  
dente circumcirca Hæresi conservatum auctumque , deside-  
ramus. unicè altiùs atque altiùs in animis Fidelium infigi.  
Eò nos stimulant Sanctissimorum Virorum & monita &  
exempla , quæ non opus est hic memorare. Quotquot enim  
ante actis ætatibus singulari sanctimonix laude floruisse acce-  
pimus, plurima singularis hujus in Virginem pietatis impressa  
per omnem vitam vestigia reliquere.

Neque quemquam moverit Hæreticorum , aut Mariani  
honoris obtrectatorum inutilis scrupulus , quasi Filii Majestati  
quidquam decedat ex cultu Matris aut frequentia. Quantum  
Filio debeant , norunt pii fideles , norunt & quantum Matri ,  
cui nihil debent nisi propter Filium. Filium inter atque  
Matrem quantum inter sit , probè intelligunt. Si qui è plebe  
rusticanâ sint adeò rudes ( constat certè vel paucissimos esse ,  
vel nullos , si modò prima Religionis Christianæ elementa  
teneant) qui discrimen immensum haud videant, per vos in-  
struantur. Matrem honorari propter Filium apud omnes in  
confesso est , & in Matre honorari Filium , Materni honoris  
læsi severum vindicem. Quorum pietas in Matrem languet ,  
in Filium quoque sensim sine sensu languescere incipit , &  
tandem extingui , ut crebrò nos Viri Sancti monent , & quo-  
rumdam funestus exitus demonstrat.

Quam sedulus fuerit in Mariano cultu promovendo S. Ca-  
rolus , quam multa sanxerit in ejus honorem , testantur tot  
\* Concilia ejus ductu atque auspiciis Mediolani celebrata , in  
quibus ferè nullum est , quod optimi Præfulis suavissimum  
atque ardentissimum in cæli Reginam amorem verbis non  
prodat , monumentisque consignet nullâ oblivione delendis.  
Eodem affectu plena sunt sanctissimi Genevensium Anti-  
stites scripta ; plenæ quoque erant , ejus dum viveret actio-  
nes. Quodam loco gloriatur , se cum tota penè Civitate Con-  
fraternitati Rosarii nomen dedisse. De SS. Anselmo , Ber-  
nardo , Norberto , &c. nihil dico. Hos potiùs audiant , quam  
importunum quemdam monitorem , cujus fallax libellus , &  
in Virginem Matrem injuriosus , superioribus annis , diabolo  
semper aliquid machinante , & perniciosa suggerente consilia,  
cum gravi fidelium scandalo sparsus est , & mox Apostolicæ  
Sedis Auctoritate justissimè damnatus. Hos audiant, hos emu-

\*Vide 1. 3. 4. 6.

B. ... Icn



lentur, hos effingant, hos audiendos, hos æmulandos, hos effingendos institutioni ac curæ suæ commissis, tamquam optimos vitæ duces proponant.

Post Virginem in Sanctos quoque, eorum Reliquias atque Imagines priscam pietatem in se, & in suis alant, foveant, augeant, Deumque ac Jesum Christum Filium ejus in iis præcipuè suspici moneant: si tamen hoc monendum est, nisi qui ad sint primis fidei elementis imbuendi. Quanta per eorum patrocinium in nos deriventur beneficia, si religiosè invocemus, si puriter colamus, sedulò exponant: Seu pestis, seu fames, seu bella ingruant, quibus tanto jam tempore propter deficientem in nobis Christi spiritum, & quotidiana populi flagitia premimur, doceant Advocatos nobis non posse alios esse meliores apud Christum ad placandam Dei iram, justamque vindictam à cervicibus nostris arcendam: quippè qui vel Sanguinem suum pro ejus gloria fuderint, aut lento martyrio inter assidua virtutum omnium exercitia vitam exhauerint. Ita crescet in Cælites pietas, & suscitabitur in pluribus æmulandi ardor, & ardua pro Dei nomine & agendi & patiendi cupiditas exsurget.

Neque id à nobis adeò sollicitè præscribi mirum videri debet. Urgent nos causæ minimè leves. Quotquot enim hisce ultimis præsertim sæculis natæ sunt Hæreses, Virginis Matris, Sanctorumque cultum, venerationem Imaginum, ac Reliquiarum cœperunt primò obliquè carpere, dein admordere apertiùs, postremò convellere, evertere, pessumdare, ac simul totam Ecclesiæ faciem innovare, deturpare, conspurcare, & totum Religionis jugum excutere. Nolumus quidem de Mariani cultùs, aut invocationis Sanctorum obtrectatoribus, aut, si ita vultis, reformatoribus hodiernis tam malè ominari. Hæc tamen omnia initia sunt dolorum.

## C A P U T V I.

### De Catechismo

**O**bservari pariter religiosè cupimus Decretum Synodi † Mechliniensis II. cui similia sanxit S. Carolus in \* Concilio Mediolanensi I. videlicet ut Parochi singulis Dominicis & aliis Festis Diebus, singuli in suis Parochiis

initia

† Tit. II. cap. 6.

\* Tit. 4.

initia fidei rudioribus tradant; ne in eos recidat lamentantis Prophetæ improperium: † *Parvuli petierunt panem, nec erat qui eis frangeret.* Si per se idipfos facere graviores curæ non patiantur, aut secus consuetudo ferat nonnullis in locis, ubi delecti ex Religiosis Familiis Viri non sine laude & teneræ ætatis, ac rudium hominum in Doctrina Christiana progressu id munus exercent, ne ponant iis obicem ullum, sed coadjutores suos in vinea Domini excolenda humaniter atque officiosè habeant: sin solatium istud aut non habuerint hæctenus, aut obtinere non possint, idoneos sibi Viros substituunt, qui teneras illas plantas solido doctrinæ Christianæ ac pietatis succo imbuant.

Catechismum autem non adhibeant alium, quam qui in Diœcesi nostra jam olim probatus est. Nihil hic novi invehant. Novos Catechismos, novas docendi formulas, praxes novas suspectas habeant. Experientia docet plerumque malè cedere res hujusmodi tentantibus, ut non ita pridem malè cessit, famosa quædam Septem Puncta in hanc Diœcesim ad rudium instructionem invehere conatis. Roma vix intellexit, & opposuit se, tantumque Censurâ suâ effecit, ut inconsulti conatûs puduerit Auctores.

Diebus Dominicis aut Festis solemnioribus, quando de more verba faciunt pro corona ad majores natu, meminerint & observent quæ eodem loco S. Carolus monet, \* *ut oves sibi commissas salutaribus verbis pro earum sensu & intelligentiâ pascant. Ne tamen ostentanda doctrinæ & eloquentiæ causa difficiles atque inanes quæstiones, fucumque orationis & pigmenta conquirant, undè sui ipsius potius, quam Jesu Christi Prædicatores esse videantur: sed præcipue in Evangelii, Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, decem Præceptorum, Sacramentorum Ecclesiæ, & Sacrorum rituum dilucida explicatione versentur.*

Quid opus illic de inscrutabili divinæ Prædestinationis mysterio, de cælestium auxiliorum efficacia, de utriusque cum libero arbitrio concordia, aliisque id genus, de quibus hæctenus Ecclesia nihil certi statuit, subtiliter argutari, quæ multitudo vel non capiat, vel si, capiat, ad solidam pietatem morumque emendationem haud magnopere conducant, quando

B 2

mte.

† Thren. 4.

† Part. I. tit. 6.

interim Christiani hominis officium pars multò maxima aut ignorat, aut non implet? Faceſſat è templis hæc Philoſphandi libido, non veritatis, ſed ingenii oſtentatrix. Scholis illa ſer ventur, in quibus tractantur non inutiliter, modò tractentur ſobriè. Et ſuos enim Schola habet juſtos limites, quos qui prætereunt, manet præcipitium.

## C A P U T VII.

### *De moderatione in Concione.*

**D**Iſteriis, Scommatis, Cenſuris abſtineant, neque inſulſis convitiis cathedram profanent, & in Ariſtophanis ſive maledicentiæ theatrum infame commutent. Opiniones, quas Eccleſia tolerat hætenùs, & doceri ſinit, Cenſoriâ virgâ ne notent. Hæc quorundam arrogantia multarum mater eſt turbarum atque ſeditionum. Chriſtum denique non Magiſtros ſuos prædicent, ne cæcos interdum duces cæci ipſi ſequantur. Certi ſumus hanc licentiam in nullo unquam pati impunitam, ſed Eccleſiaſtica ſeveritatis vinculis prurium intolerabilem frangere. Habet ubi ſe Chriſtiana eloquentia exerceat, licet in virulentas Satyras adverſus Fratres, adverſus commilitones ſuos, adverſus Cleri Collegia, adverſus Religioſas familias non prorumpat; licet odio, atque invidiæ & amaro zelo, quem S. Jacobus plurimùm increpat, & ex Chriſtianis cæcibus exterminatum it in Catholica ſua Epistoſta, non velificetur. Neque hæ tantum aperta rixæ nobis, & bonis omnibus diſplicant, ſed obliqui quoque ictus morſusque figurati, & intortæ velut ſub ancipiti verborum velo ficæ, quo ſaviendi genere nonnulli videri ſe mirè ingenioſos exiſtimant.

*In reprehendendis vitiis, monet S. Carolus ibid. Ita ſe gerant, ut pietatis & charitatis ſtudio eos adductos, non hominum, ſed peccatorum odio id ſacere omnes intelligant. Ne ſic igitur regnantia publicè vitia caſtigent, ut è corona quempiam, digito, ut aiunt, ſignent, ruboremque non illi ſolum & ſtomachum, ſed concioni univerſæ moveant: quo quid poteſt eſſe durius, & à Chriſtiana lenitate & prudentia alienius? Quanto rectius ſeorſim corripietur juxta Chriſti Servatoris regulam? Quanto majori cum ſpe emendationis & fructu, quiſquis ita reus eſt,*

est, cum videbit sincerè paternèque secum agi? At publica reprehensio & è cathedra, quæ speciem habet contumeliæ, exasperabit animum, à Concionibus & templo deterrebit quantumvis vitæ melioris cupidum, in desperationem ager præcipitabitque impatientem injuriæ.

Nec carnis vitia resque venereas sic incessant è cathedra, recensendo omnia enucleatius, & vivacius representando, ut nullus honor sit auribus castis, & peccare potius doceant, quam à peccando deterreant. Materia tam lubrica & delicata delicatè tractari amat, & pinguem Minervam osque insulsum odit maximè. Nequaquam convenit hic esse nimios, & experientia ipsa docet quosdam per ejus generis conciones factos esse deteriores, pròrioresque in libidinem, alios adhuc integros purosque sceleris frequenti admonitione sollicitatos ad flagitium. Ad promiscuam ætatis omnis, statûs, conditionis & sexûs multitudinem jacere periculosum est, quod prodesse paucis queat, nocere pluribus.

Quidquid autem tractandum susceperint, graviter, attentè, religiosè tractent, memores personæ quam sustinent, & Verbi Divini, quod explanant. Materiæ dignitati totius corporis habitus, orisque Majestas respondeat. Nihil sit in gestibus leve, in voce molle, in dictione effæminatum, aut ad risum potius, quam ad pios animorum motus excitandos compositum. Neque sic affectent populares esse, aut rerum naturam exprimere, ut acceptis è trivio verbis minimum agere videantur, non Evangelii præconem: in quo non pauci se decipiant, ac si punctum omne ferrent, sibi que blandiuntur.

In Sacris denique Oratoribus locum minimè habeat illud: *fungor vice cotis*. Non facile quempiam exacuet, nisi ipse acutus sit, neque cælestibus flammis accendet auditorum pectora nive frigidior. Se priorem animet oportet, affectus eos in se concitet necesse est, quos in aliis concitandos suscipit. Spes verò fructus omnis evanescit, si sua dicta factis destruat, & de virtute locutus magnificis verbis deprehendatur in flagitio, iisque obnoxius vitiis, quæ pro corona maximè exagitat. Via ad virtutem insinuandam animis compendiosissima est per exempla, quibus præcepta exprimantur. Hinc capit *JESUS facere & docere*. Via per præcepta exemplis destituta longa, anfractuosa, invia, sine exitu, & ut verbo absolvamus, labyrinthus.

## CAPUT VIII.

## De Sacramento Pœnitentiæ, præloquium.

**N**unc veniendum ad gravissimum Pastoris munus & periculi plenum, quod in fidei Sacramenti Pœnitentiæ administratione consistit. Id nos ante omnia sollicitos habet, noctesque & dies excruciat. Adeo multis, adeo variis pulsamur quotidie querelis, aliis nimium quorundam rigorem & ferream duritiam culpantibus, & aliis immodicam laxitatem & ignavam conniventiam vocantibus in crimen. Nullibi tantâ opus prudentiâ, tantâ circumspeditione, tanto iudicio ac spiritûs discretionem, tantâ bonorum Auctorum peritia, sententiarumque delectu, tot occurrentibus perplexis ambiguisque quæstionibus, ne suorum conscientias injustis vinculis gravent, aut justis sine causa expediant. \* Hinc Synodus Mechliniensis II. S. Carolo adstipulante in sua Instructione monet, \* *ut ob graves & diversos scrupulos, qui Pœnitentibus indies occurrunt, & plurimas difficultates sibi coherentes habent, bonos & classicos auctores nonnullos, qui casus conscientia ex professo tractant, manibus continuo terant.* Leges in negotio tanti momenti omnibus & singulis servandas præscribere arduum est, & tantum non impossibile: in quo unicuique sua probitas & maturitas, ac proximi amor, & in Christum fides debet esse pro legibus. Mentem tamen nostram super hoc aperire brevibus & dilucidè haud gravabimur.

## CAPUT IX.

## De Lenitate Confessarii.

**A**n te omnia Sacramenti hujus administri ob oculos propositum semper habeant Christi Domini Dei servatorisque nostri exemplum, cujus in hoc munere vices obeunt: lenitatem ejus & benevolentiam, ac pronam in reos culpam suam agnoscentes voluntatem imitentur, cui vitio aliquando versum est à superbis malignisque hominibus, quod peccatores reciperet, cumque illis vesceretur. Fuerit licet cardiognostes, hoc est cordium scrutator, nihil illum

ex

\* Tit. 5. c. 5. cap. 1.

ex intimis animi latebris, ac recessibus sefellerit, suis tamen hac in parte discipulis prævit, ne fastidirent quempiam, aut repellerent ad meliorem vitam aspirantem suorumque scelerum pertæsum. Cogitent avarum esse non debere dispensatorem, cuius Pater familias largus est.

## C A P U T X.

### *De praxi Ecclesiæ modernæ.*

**E**cclésiæ Matris suæ consuetudinem & praxim teneant longo sæculorum usu probatam, neque supra suam le magistram erigant, aut ejus indulgentiam ausu temerario corripiant. Non suspirent semper antiqua sæcula, & primævum in Matre sua ætatis florem vigoremque repositant, fastiditis rugis canisque despectis. Habuit Ecclesia olim, ut quod res est loquamur, ex quo corrigi possit hodierna disciplina, sed & jam habet, unde corrigi potuit antiqua, quemadmodum periti temporum & rerum norunt atque testantur. Non est filiorum in Matris annos inquirere, aut exprobrare senium, aut novæ metamorphosi velle recoquere. Plus quam satis est adhuc ipsa vigoris habet, superis sit gratia, ut sibi suisque prospiciat, & si quid noxium accrevit, resacet, & ab Episcopis ressecandum moneat.

Neminem fascinet speciosum Reformationis nomen, quod à Calvini temporibus meritò odiosum esse cæpit atque suspectum. Non est privati hominis aut Doctoris Ecclesiam, & receptas toto orbe Catholico consuetudines reformare. Romanorum Pontificum atque Episcoporum id proprium est opus, quos torpere, aut in præsentis Ecclesiæ necessitate turpiter connivere promissus illis Sanctus Spiritus haud sinet. Ad rem tantam privatâ authoritate aggredi, quæ nulla est, viam est sternere, loquimur liberè ut nos decet, ad schisma.

Ne igitur Pœnitentiæ opera promiscuè ipsi peccatorum veniæ & condonationi præmitti postulent, aut exigant, si peccata sint occulta; neque hunc olim viguisse morem prolixè jactent, nullo satis certo testimonio. At viguerit mos iste, & veteres laudent per nos licet, modo utantur annis suis: si consultum id certis quibusdam casibus videbitur, neque sperentur alia remedia successura, aut effectum sortitura tam bonum,

con-

Considerato maturè pœnitentis statu, non veramus quo minus hæc via infirmi salutis prospiciant; verum id non fiat per tempus nimis diurnum, neque annos integros auferat.

Nullis posthac excidant damnatæ voces & recenter ab Alexandro VIII. Pontifice proscriptæ gravissimo Decreto: „Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit „non politica aut Institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & „præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante. Per „illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus „Consuetudo moderna quoad administrationem Pœnitentiæ „etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & „multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ec- „clesia non habetur pro usu, sed abusu.

## C A P U T X I.

### *De dilatione Absolutionis.*

**I**llis casibus veniam procrastinent (neque enim segnes mi-  
nitros cupimus, aut molles medicos, sed qui pro tempore  
& loco, & morbi necessitate tam linere plagam unguento  
sciunt, quam urere & secare) quos Rituale Romanum & Pasto-  
rale Mechliniense exhibet. Si qui rei nempe Sacrum tribunal  
acceserint, § qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimici-  
tias deponere, aut aliena, si possint, restituere, aut proximam  
peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere,  
aut vitam in melius emendare nolunt: aut, ut utamur verbis S.  
Caroli, † nisi in posterum sese emendare promittant, nullo modo  
eos absolvant; quod si in se recipiant ea se facturos, nec horum ad-  
moniti umquam à Confessario vel Pastore, præscripto modo fue-  
rint, poterunt eos absolvere. Rursus pergit idem Sanctus: ¶  
Nec eos absolvant, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eo-  
rum occasiones vitare planè non proponunt. Si pœnitens, inquit  
alio loco, \* recipiat in se media à Confessario præscripta, poterit  
absolvi. rursus ait: † Si probabiliter sibi Confessarius persuadeat  
posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissioni fa-  
cta dare, quod scilicet occasionem auferet, poterit eum promissio-  
nis intuitu absolvere. Paulò ante præmiserat: § si tamen fue-  
rint

§ De Sacramento Pœnit. † Instruct. p. 2. c. 13.

¶ Cap. 15. \* Cap. 26. † Cap. 17. § Cap. 13.

*runt sepius reprehensi, nec sese correxerint, tam diu absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.*

S. Franciscus Salesius. quo nemo fuit in regendis animis dexterior, quem longus usus & experientia docuit rectè consulere, absolvendos negat injustos, *nisi se satisfacturos promittant*: conjugatos dissentientes, *quamdiu perseverant in ista mala voluntate*; illegitimè possidentes beneficia, *nisi se defectus correcturos promittant*; rixosos, & qui rancorem aut inimicitias habent, *nisi velint ex parte sua condonare & inimicis reconciliari*. Extra hos, aliosque id genus casus, probare nullo modo possumus frequentes repulsas, aut ordinarias procrastinationes, quæ morbos non tam levent, quam exasperent; quasque nonnulli nuper invehere cœperunt communi Ecclesiæ disciplina neglecta. Ad hæc remedia descendant semper invitati, atque ipsa necessitate compulsi, postquam mitiora omnia tentaverint. Sed neque tum reos ad suos pedes prostratos, quos sanandos aliter haud credunt, duriter increpent, aut amarâ insultatione dejiciant, sed amicè compellatos suaviter inducant proposito ob oculos præsentis salutis æternæ discrimine, nisi pravæ consuetudinis vincula omnia quam primum disrumpant: frustra veniam à Sacerdote sperari, quamdiu animus pravis affectibus irretitus hæret: toties jam fidem sibi factam, violatam fuisse toties, ut rursus affirmanti credere non possit, nisi opera viderit: huc enitendum: quò cum evaserit, ambabus ulnis amplexandum, & reconciliationis fructu diutius haud frustrandum. Hæc atque alia, quæ Christiana prudentia dictare solet, remedii duritiem leniant.

Hunc in finem meminisse juverit quæ recordanda monet Genevensis Præsul: *§ mementote, inquit, à miseris penitentibus in ipso Confessionis exordio Patrum nomine compellari vos, & quod re ipsa animum erga ipsos habere debeatis verè paternum, recipiendo ipsos summâ cum caritate, sufferendo patienter eorum rusticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliasque imperfectiones... tametsi Filius prodigus nudus planè, sordidus & fetidus jam inde ab bara porcorum rediret, benignus tamen Pater eum amplectitur, amanter exosculatur, & super collum ejus ruens lachrymatur, eò quod esset ipsius Pater, & cor paternum teneriori affectu erga filios soleat commoveri.*

*§. Instruct. Cap. I.*

*Illud*



Illud ipsum Patris nomen amabile licet atque blandum animare Confessarios debet ad constantiam & virile robur, & masculos affectus; muliebrem verò indulgentiam, aut metum excutere pectoribus: ne reprehendenda & castiganda in filiis, ut stultæ matres solent, negligant: ne respectu aliquo humano monere non ausint, quæ monenda sunt; atque ita dum in flagitio connivent, flagitium ipsi admittant.

## C A P U T XII.

### *De Prudentia in Examine.*

**I**N examinandis pœnitentibus ne nimii sint atque curiosi: ne scrutatores rerum quas scire non oportet, interdum etiam est nefas. In complicum nomina non inquirent, ipsos pœnitentes de nomine nosse ne laborent: istiusmodi curiositas pœnitentes à tribunalibus arcet, aliaque innumera secum trahit incommoda. Nescio quid sinistri de Confessariis tam curiosis suspicantur. Hæc cautela maximè adhibenda est, cum de rebus obscænis instituitur quæstio: quæ suprâ Concionatores monuimus, hic quoque attendenda sunt. Contingit enim persæpè, ut ab ipsis Confessariis omnes harum sordium angulos vestigantibus instructiores redeant ad nequitiam. Magna habenda hac in parte ratio personarum, ætatis atque sexûs. Utendum verbis modestis ac verecundiam præ se ferentibus, & soli serviendum necessitati. Limites hic transire non ipsis solum sæpè pœnitentibus, sed & Confessariis periculosum est, qui castitatis thesaurum & ipsi portant in vasis fictilibus.

## C A P U T XIII.

### *De Satisfactione.*

**I**N mulctis autem pœnitentibus imponendis servent traditam à Sacrosancto Concilio Tridentino § & à plerisque Ritualibus, & à Mechliniensi Synodo II. disertè expressam Regulam, *ut quantum Spiritus & prudentia suggererit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare & convenientes satisfactiones injungant, quæ non tantum sint ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Audien.

§ Sess. 14. Cap. 8.

Audiendus hic quoque S. Carolus : § Confessarius , in-  
 quiens , circumspectus esse debet , ne adeo leves & faciles sint  
 satisfactioes , ut potestas clavium in contemptum veniat.... ne-  
 que nimis graves aut longa jubeantur , ut vel recusent eas exequi,  
 vel etiamsi acceptas habent , postea tamen plenè non perficiant....  
 hac in parte integro judicio & personarum delectu utentur ; non  
 enim omnibus omnia conveniunt . Quare non mandent pauperi-  
 bus ut liberaliter tribuant Eleemosynas , neque iis , qui diutur-  
 nis sudoribus victum sibi suisque quaritant , jejunia proluxa .

Audiendus quoque S. Franciscus Salesius : \* Confessarius  
 inquit ille , pœnitentiam imponere debet verbis suavibus &  
 consolatoris , maxime ubi viderit pœnitentem benè compunctum ,  
 & semper eum interrogare debet , an non sit eam libenter execu-  
 turus . Nam si videat facturum agrè , satius foret ei imponere  
 aliam faciliorem , cum ordinariè multò melius sit pœnitentes  
 amicè & benignè ( absque eo tamen quod peccatis eorum adule-  
 tur ) quam asperè habere . Nihilominus pœnitenti Confessarius  
 indicare non omittet ipsum pro gravitate peccatorum suorum  
 longè graviozem mereri ; ut id , quod sibi injungitur , majori cum  
 humilitate & devotione exequatur .

Salubria pariter sunt , quæ S. Carolus pœnitentibus præ-  
 scribenda monet : † nempè ut omnes nitantur bis saltem in die  
 preces facere ad Dominum , mane videlicet cum surgunt , ac Ves-  
 peri dum cubitum concedunt . Deinde , Confessarius exhortabi-  
 tur eos , ut singulis diebus Sacrum audiant , & diebus Dominicis  
 divina Officia frequentent ; particulatim verò modum eis præscri-  
 bet orationes mentales faciendi sive viri , sive mulieres sint , modo  
 tamen capaces sint . Rudioribus autem offendet , quomodo Rosariū  
 sive Corona B. Virginis , septem Psalmi Pœnitentiales , aut simi-  
 les aliæ Orationes legi debeant . Parochus omnes sua fidei con-  
 creditos eò inducet , ut examen conscientia quotidie faciant . Ad-  
 moneat quoque eos de frequenti Confessione & Communione ,  
 & paulatim eos secundum S. Augustini consilium in Sanctam eam  
 consuetudinem adducat , ut diebus Dominicis communicent....  
 speciali curâ eos admonebit Confessarius , ut dies Festos in hono-  
 rem servitiumque divinum impendant : Quod ut commodius  
 fiat , auctor eis erit , ut alicui Societati sese associant , quæ ex insti-  
 tuto proprio dies Festos in orationibus piisque operibus expen-  
 dit....

§ Instruct. c. 20.

\* Ibid. cap. 8.

† Ibid. cap. 22.

*dit.... iis, qui litteras norint suadebit ut libros aliquos pios & sancte scriptos emant, si modo facultas suppetat, quos & ipsi legant, ac faciant legi à tota familia circa Vesperam, præcipue Festivis diebus: tales sunt Vita SS. Patrum, de Imitatione Christi, opera F. Ludovici de Grenada &c.*

Conspirat in eandem sententiam Salesius: *\*bonum inquit, erit hac aut similia injungere pro Pœnitentia, veluti ut legat hunc vel istum librum, qui judicatur opportunus ad juvandum Pœnitentem: Confiteatur singulis mensibus per annum: curet se inscribi alicui Confraterniti, similesque actiones, quæ non solum ad præteritorum peccatorum punitionem deserviunt, sed & ad futura præcavenda. Et quantum ad consilia, quæ generatim Confessarium pœnitenti dare oportet, ecce tibi utilissima omni hominum generi, confiteri & communicare frequentissime, eligere bonum Confessarium ordinarium, frequentare conciones, legere libros pios, E. G. Opera Granada, fugere prava consortia, sequi bonos, Deum frequenter orare, Vespertinum conscientia examen instituire, de Morte, Judicio, Cælo, Inferno cogitare, frequenter osculari sanctas Imagines, puta Crucifixum, aliasque.*

## C A P U T XIV.

### De Confessionis frequentia.

**V**idetur ut gemini hi postremorum temporum soles, conspirantibus in eundem scopum consiliis ad fovendam & amplificandam in Fidelium cordibus pietatem, ad extirpanda vitia, virtutesque inferendas, frequentem Confessionis & Eucharistiæ usum commendent? Frequens autem Confessio non ovibus tantum, verum etiam Pastoribus necessaria est, ne fiat sicut populus sic & Sacerdos. Boni Sacerdotes, monebat Cardinalis Bona, ¶ *vel quotidie, vel alternis diebus, vel bis saltem in hebdomada animo verè contrito ad Confessionem solent accedere, S. Carolus statuebat, Sicut quo puriores ad divinam rem faciendam accedant Sacerdotes, singulis hebdomadis peccata confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius facere oporteat.*

S. Franciscus Salesius animam piam alloquens: † *Ne permittas*

\* *Instruct. cap. 8.*

¶ *Lib. de Sac. Missæ c. 4. §. 2.*

§ *Concib. Mediol. l.*

† *Introd. ad vitam devot. p. 2. c. 19.*

mittas, inquit, unquam ô Philothea, ut cor tuum diu maneat infectum peccato, cum remedium tam præsens & facile ad manum habeas.... Confitere humiliter & devotè singulis octiduis, & si fieri potest, toties quoties communicabis, etsi nullius peccati mortâlis conscientia te remordeat. Etenim per Confessionem, quam institues non solum venialium, quæ confiteberis absolutionem, verum etiam ingens robur ad ea in posterum cavenda, ingens ad discernenda lumen, & abundantem gratiam ad reparanda damna omnia, quæ tibi attulerant, consequeris.

Apage igitur hesternum novorum hominum commentum, quasi sanctissimi viri nudam peccatorum expositionem Sacerdoti præscripserint faciendam consilii aut petendi remedii causa, parum solliciti, utrum semper subsequeretur absolutio nec ne. Neque necessaria Contritionis obtinendæ difficultatem nobis illi tantopere exaggerent. Salesium audiamus, cujus unius auctoritas nobis plurimorum instar est. *Quæris*, inquit ille, \* quomodo contritionis tuæ actum exiguo tempore elicere possis? Dico tibi vix opus esse tempore, ut ritè eliciatur: cum tantum opus sit se coram Deo prosternere in Spiritu humilitatis & doloris, quod ipsum offenderis. Nam ut ait S. Augustinus § sive ad malum, sive ad bonum parvo momento animus commutatur.

## CAPUT XV.

### De sigillo.

**R**Es ipsa postulat & populi sinistra quædam mussitantis suspicio, ut non nulla adjiciamus de sigillo, sive secreto Confessionis arctissime servando. Jam olim Concilium Lateranense de eo quædam unicè necessaria decrevit, quæ S. dein Carolus suis Statutis, (a) & 2. Mechliniensis Synodus † inseruit; videlicet, ut memnerit unusquisque Confessionis sigillum strictissime servandum esse, etiam sub pena depositionis a Sacerdotali Officio, & detractionis in arctum Monasterium ad agendam ibidem perpetuam Penitentiam, &c. Ita ut nullo casu violare illud liceat respectu nullo. Et profectò si ullubi Theologos severos esse convenit, hic oportet, & fieri hæcenus severi. Quæ sat justa decerni queat adversus Sigillifragos

\* Collat 18. § Lib. 2. contra Cresconium cap. 9.

(a) Instruct. p. 2. c. 20 † Tit. 5. cap. 6.

fragos pœna, haud videmus. Adeo multa consequuntur ex hoc uno crimine mala. Si qui in hoc genere Ecclesiæ disciplinam, quæ semper hætenus facta est rigidior relaxare machinentur, quod vix induci possumus ut suspicemur, habeant illos ut capitales Sacramenti hujus hostes & exterminatores. Quis enim posthac ausit aperire animi ulcera soli Deo perspecta, si de Sacerdotis silentio & taciturnitate haud securus est? Si accersendum inde in caput suum grande malum non sine ratione formidat?

Scientiæ etiam ex Confessione acquisitæ nullus sit extra Confessionem usus, nisi consulto pœnitente ac largiente potestatem, quæ non nisi justis & necessariis de causis petenda est. Miramur hic nonnullos doctrinæ S. Caroli perpetuos admiratores præconesque assiduos, in ejus de hoc negotio sententiam non ire pedibus, sed effugia circumspicere, & pluribus incassum argutari, & nolle tam arctis vinculis constringi. Nos autem ut alibi, sic hic vestigia S. Caroli à vobis calcari volumus: ne temerè veniam à pœnitente extorqueant ad gravandum invidiâ & vero crimine tertium.

Ne facilè hic justas sibi causas fingant, cum Viro cætera probo impingendum crimen est, quod pœnitens probare non possit, undè uterque necessariò maculandus sit infamiâ; quod non potest non Sacramentum Pœnitentiæ reddere odiosum, ipsumque Confessarium objicere populi suffragiis, ut reum vel imprudentiæ summæ, vel malignitatis.

Denique ab omnibus illis religiosissimè abstineant, quæ Sacramentum istud tam necessarium nata sunt populo invivum facere: fatis multa occurrunt in eo dura, fatis multa ingentæ homini vel verecundiæ, vel superbiæ contraria, ut Sacerdotes ipsi non debeant injustum onus adjicere. Quod si qui facere certum habent, magnopere pertimescendum est, ne multi tædio victi in mediis Oceani vitæ hujus fluctibus intèrire malint, quam tanto cum labore ad tabulam adnatate, à qua fortè dejiciendi sint illius ipsius injuriâ, qui statutus ad hoc est divinitus, ut manum naufragantibus commodet, in portumque deducat.

(31)  
CAPUT XVI.

*De Pœnitentiis manifestis.*

**V** Num penè exciderat, quod ad multas reis imponendas spectat, & ad sigillum Confessionis arctius servandum facit, undè neque hic non erit dictum in loco, videlicet, quod Rituale Romanum & Pastorale Mechliniense monet: *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam Pœnitentiam non imponant*; ut enim quemadmodum egregiè (a) Synodus Tridentina observat, *non satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publicâ essent Confessione aperienda*; ita prorsus foret inconsultum, ne quid dicamus gravius, adigere pœnitentes, ut secreta delicta, quantumlibet enormia, publicâ satisfactione expient. Quid enim est pœnitentis crimina revelare, ut loquimur, indirectè si hoc non est?

CAPUT XVII.

*Decretum vetus Coloniense circa superiora.*

**I** Uvat hîc inferere, quæ ab annis jam quadringentis Sifridus Coloniensis Antistes sapienter decrevit adversus excessus ejusmodi, celebratâ in hunc finem Synodo: ubi hæc habet inter alia, quæ longum foret describere: (b) *Diligenter in Confessione caveant Sacerdotes, ut si confitentes peccata aliquorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverunt, ea secretè teneant, sicut peccatum confitentis.*

*Item sub pœna excommunicationis, omnibus Sacerdotibus inhibemus, ne à confitentibus nomina eorum cum quibus peccaverint inquirent, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum sciri. Quod si fecerint, ab officio Confessionis audienda, & Sacrorum Mysteriorum, ipso factò se noverint esse suspensos: & in principio confessionis Sacerdotes districtè inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur vel revelent & nomina eorum cum quibus peccaverint, exprimant, ut supra dictum est.*

*Item nullus Sacerdos in ira, odio vel etiam metu corporis confessionem confitentis audeat revelare verbo, vel signo, generaliter vel specialiter, dicendo: ego scio te talem, qualis es: & si revelaverit aliquo modo, de hoc convictus debet absque omni misericordia*

(a) Sess. 14. c. 5. (b) Ex editione Labbei tom. II. p. I. col. IIII7.

ricordia degradari. Si tamen indigeat consilio, illud (ut dictum est) sine expressione personæ cautè requirat.

Atque hisce sapientissimè constitutis, prudentissimus Præsul gliscens tum malum feliciter sopivit atque oppressit. Quis sperasset malum simile nostro hoc tempore in Belgio Catholico revicturum? Sanè nisi bonorum hac de re querelæ cessaverint (cessabunt autem ubi innovandi & perturbandi omnia in quibusdam prurigo cessaverit) ad similes reis pœnas infligendas adigat etiam invitus. Opto interim ut consiliis hisce nostris potius, quam censuris, atque pœnis deterriti, in viam Patrum redeant, & pestiferis novitatibus minimèque tolerandis valedicant, quotquot hac in parte defecisse non vana suspicio est.

## C A P U T X V I I I .

### De Communionis frequentia.

**Q**uod ad Cibi Eucharistici sumptionem spectat, de qua jam mentio nonnulla suprâ facta est, *Cibum illum*, ut docet Tridentina Synodus \* *Salvator noster sumi voluit, tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservemur.* Ex quo patet quam inepti sint animarum Medici, qui propter quotidianas infirmitates lapsusque non graves ab hoc cælesti pabulo mentes famelicâs deterrent, neque verentur, ne cogantur aliquando ingemiscere, quod defectu hujus divinæ alimonix cor suum exaruerit. Longè aliter censuere Tridentini Patres, ut testatur Catechismus Parochorum (a) Concilii Tridentini auctoritate editus, quorum omnium unanimis vox fuit *Quotidie peccas, quotidie sume.*

Longè aliter S. Carolus (b) præscribit statuens, *ut ad saluberrimum S. Eucharistia frequentem sumendam usum Parochi & Concionatores quàm sapientissimè populum cohortentur, nascentis Ecclesiæ Institutis, atque exemplis, & gravissimorum Patrum vocibus, & uberrima hoc ipso de genere Catechismi Romani Doctrina & sententia, dentque Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem Fideles in singulis Missis non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistia perceptione communicare.* Quod

\* Sess. 13. cap. 2. (a) Par 2. cap. 4. n. 46.  
(b) Concil. Mediol. 3. Tit 7

*si quis Concionator etiam Regularis aliquid contra directè indirectève dixerit, aut concionatus sit, Episcopus ei tamquam scandalum disseminanti interdicit prædicatione verbi Dei. Cur hîc non inclamant antiqua instituta ritusque præscos, qui nihil nobis quotidie occinunt, quam veteres pœnitentiæ Canones? Amor sincerus antiquitatis tam hoc exigebat, quam istud. Sed pergamus audire S. Carolum.*

In eodem (a) Concilio decernit, quod ipsum & Instructionibus suis inseruit, ut Parochus eam consuetudinem concionando inducere studeat, ut populus, si minùs Dominico quoque die, saltem semel in singulis mensibus confiteatur, & Sacram Communionem sumat; at in Quadragesima & in Adventu, ut singulis diebus Dominicis hoc faciat; id quod antiquæ Fidelium pietatis est.

Rursus idem nobis Auctor est, ut populus rariùs confiteri & communicare solitus, non solum ad sacram Synaxim conveniat diebus solemnioribus, Pentecostes, Assumptionis beatæ Virginis, omnium Sanctorum & Natalis Domini; sed dein diebus Indulgentiarum, postea *singulis mensibus*, demum ad Communionem octiduanam adducatur.

S. Franciscus Salesius tot locis (b) frequens hoc pietatis Christianæ exercitium inculcat, ut mens ejus à nemine ne quidem pervicaci vocari possit in dubium. Inter alia *asseveranter* pronunciat *ab iis qui volunt piè vivere in Christo, Sacram Communionem nullatenus posse differri ultra mensem.*

Ab his Sanctissimorum Virorum monitis non est quod cogant deflectere subtiles quorumdam hominum argutiæ, aut Rhetorici colores, quibus contraria omnia suadent, & ab hac saluberrima medicina revocant infirmos. Inculcant frequenter petitum illud ab humana amicitia exemplum, in qua quotidianus usus & familiaritas solet contemptum parere. Verentur scilicet ne fiat nobis vilior Deus, & jacturam aliquam dignitatis patiat immensa Majestas, si toties ad mensam ejus accubuerimus convivæ. Mallent ut singulis tantum annis semel aut iterum, quod Barbaros aliquando Reges factitasse tuendæ Majestatis suæ gratiâ produnt Historiæ, multitudini se spectandum Deus ac fruendû daret. At arguti isti non

C

vident

(a) *Concil. Mediol. 4. part. 2. tit. 4. & Inst. part. 1. C. 16.*

(b) *Introd. Part. 2. cap. 20.*



(34)

vident, vel videre se dissimulant, in humana familiaritate contemptum nasci ex eo potissimum capite, quod quotidianus usus & conversatio, semper penè vitium aliquod aut defectum detegat, ut solent homines a micis inter agere liberiùs, frænum perturbationibus & morbis permittere, quos alibi studiosè celant. Date nobis Amicum vitii non obnoxium, sed omni instructum virtutum genere; ejus familiaritas nequaquam contemptum pariet, sed amorem indes magis ac magis accendet, virtusque alia ex alia detecta incitabit ad reverentiam. Divinus igitur ille Cibus vitii omnis expers, omni virtute atque efficaciâ præditus, quamquam frequenter sumptus gignere haud potest fastidium, haud potest vilescere, modò stomachus accesserit illi capax, hoc est letiferæ noxæ sordibus haud infectus, deque domandis in se vel extirpandis terrenis affectibus sollicitus, quique placere divino hospiti pro conditionis humanæ infirmitate allaboret. Experietur is quò fuerit usus frequentior cælestis alimonix, vires in se crescere ad expugnandas vitiosas inclinaciones, amorem in Deum augeri. Reverentiam Majestatis immensæ sumere incrementum: quod ipsam Viri Sanctissimi concordibus suffragiis testantur, atque ipsi experienciâ magistrâ, didicerunt. Qui propter quotidianas infirmitates, levesque noxas, aut spiritus languorem, aut in precando ariditatem bonas animas ab Eucharistica mensa abducunt, non aliter faciunt, ac qui frigentem corpore ab igne prohibet, maculis ac pulvere sordidum repellit à fonte, febricitantis manibus poculum salutiferum extorquet.

Missis igitur Medicis tam imperitis, audiamus potius Innocentium XI. felicitis memoriæ Pontificem Romanum (a) saniora suadentem. Hujus consiliis Parochi & Confessarii stent. Juxta saluberrimum ejus decretum suos exhortentur, ut frequenter, quin etiam quotidie Mensæ Dominicæ assistant, modò diligens accedat & tanto hospiti excipiendò par apparatus, chorusque Christianarum virtutum.

Ne quispiam posthac, quod nonnullis in pagis & urbibus factum queruntur haud pauci, turbam promiscuam non gravibus de causis fraudet etiam Communione Paschali; in Pentecosten aut ultra procrastinet pro arbitrio suo, ac si esset Præcepti

(a) Datum Romæ 12. Februarii 1679.

cepti Ecclesiastici Dominus, nullo superiorum sæculorum exemplo. sanè periculofam hanc novitatem ex hac Diœcesi nostra eliminatam volumus. Nulli Sacra tum Mensâ arceantur, nisi quos noverimus esse indignos, atque ita vitiis inverteratos, ut nuntium iis remittere recusent, aut perquam verisimile sit numquam remissuros, quod in promiscua plebis Christianæ turba confidimus non habere locum.

## C A P U T X I X.

### *De Indulgentiis.*

**D**E Sacris Indulgentiis cum Majoribus suis & loquantur & sentiant. Magni eas ipsi faciant, & à suis faciendas doceant. Non exiguam in iis fiduciam à Christiano populo semper collatam, posthac quoque collocandam curent, & simul ad vitam rectius instituendam exhortentur, ut sacros thesauros non dumtaxat exhauriant alienis meritis comparatos, sed in eos quoque aliquid ipsi inferant, quod prodesse posteris queat.

Jam pietatem in mortuos nemo allatret, vel licet nemo, sed concordibus studiis alant omnes, & foveant. Fructum qui ex antiqua hac in pios Manes misericordia jam à præcis temporibus usitata redundat in vivos, sæpè pro Concione commemorent. Quæ pœna immemores maneat post hanc vitam edoceant; ut similiter ipsi in Purgatorii flammis destituendi sint, qui nullos jam precibus suis, aut aliis rectè factis sublevant. Ab hac Regia antiquitatis via ne quis desciscat, atque avia & devia cum periculo præcipitii confectetur.

## C A P U T X X.

### *De Concordia Cleri & Regularium.*

**P**ostremò Religiosas Familias arcto cum Clero amicitia vinculo conjunctas cupimus. Quisquis hanc cum illis committere studet, tamquam sator discordiarum & certæ author ruinæ ex exercitu Domini, Christi que castris pellendus est. Omnes eidem militia nomen dedimus, eandem

omnes causam agimus, sub eodem Duce atque Imperatore Christo Jesu; omnes oppugnare jubemur sub iisdem auspiciis tartareas potestates: & quisquam inter nos erit qui sacros commilitones ad intestina bella mutuamque internecionem concitet? Qui invidiæ atque odii stimulis actus, imminentis hostis immemor, fraternam aciem delendam atque extirpandam poscat? Absit à nobis is furor.

Religiosi Clerum suscipiant atque habeant in honore, illius auctoritatem ne minuant, ne detrahant dignitati. Clerus vicissim Religiosos tamquam manum subsidiariam ad bellanda bella Domini divino consilio submissam ne despiciat, ne fastidiat, ne superbè conculcet; sed junctis, ut decet, dexteris atque animis, foveat, animet, amplectatur. Ne in mutuis subindè vitiis velut ungues in ulceribus hæreant, ne clam propalent, quodque omnium est pessimum, pro corona publicent, certi semper aliquid decedere populi erga statum Ecclesiasticum atque Ordinem Sacerdotalem reverentiæ ex hac mutuorum vitiorum commemoratione. Omnes sumus ejusdem corporis membra; quidquid uni detraxeris, in te quoque redundat. Constantinus Magnæ Christianæ Religionis Vindex egregius, Sacerdotum flagitia detegi tam ferebat indignè, ut Regiam chlamidem injecturum se diceret, si quem deprehenderet in flagrantis delicto: & hæc nostræ ætate occultum Sacerdotis lapsum Sacerdos proderit & in ore populi dabit? Omnis Sacrorum atque Ordinis Majestas brevi pedibus contereretur, si multos corripiat hæc insania, si maledicendi libido grassetur ulterius. Per *Jesum Christum* obtestamur omnes & singulos, odia illa cessent in manifestam animarum perniciem gliscentia. Mutua privilegia aut immunitates Pontificum favore concessas (quandoquidem hic sæpè maximus est odiorum fomes) ne violent. Præscriptos officii limites certosque fines ne transgrediantur, sed in ita stabili concordia & vinculis, si fieri posset adamantinis firmata, agat unusquisque quod suum est.

De hæc Clerum inter & Religiosos Ordines concordia sollicitus semper fuit S. Carolus, sollicitus fuit & S. Franciscus Salesius, apprimè gnari, quantum hæc ad promovendam populi salutem conducatur, quantum malorum consequatur ex discordia animisque mutuo odio inflammatis.

Aucto.

Auctores igitur Parochis sumus, ut Religiosos viros, qui stans diebus ad concionandum pagos excurrunt, hospitaliter excipiant, humaniterque ac benignè tractent, juxta S. Caroli Statutum, † qui Prædicatores ab illis, in quorum Ecclesiis prædicant, hospitio recipi vult, *suppeditatis omnibus rebus ad eorum victum necessariis, datâ etiam Eleemosynâ aliquâ ex fructibus Beneficiorum;* quando nempe id Parochi fors, ac conditio aut tempora permittunt, alibi præscribit, ut in congregatione Pastorum, § *Si ei Parochia propè erit aliquod Regularium Monasterium, ubi aliquis sit ad Sacrarum Litterarum Ecclesiarumque explicationem aptior, curent etiam illius operis atque studio adjurari.*

Quodam loco decernit atque hortatur idem Sanctus, *ut superiores Regularium, temporibus quibus ut plurimum populus ad Confessionis Sacramentum confluit, procurent quantum potuerint maximum numerum Confessorum.*

## I N T R O D U C T I O

**H**abetis quæ mihi visa sunt in Domino potissimum præscribenda hoc tempore, quæ si eâ, quâ decet, observantiâ omnes suscipiant, similique alacritate executioni mandent, nullus erit queremoniis locus, Ecclesiastica Disciplina facta, testâ conservabitur, facilè coibunt vulnera brevique ducent cicatrices: non pendeat animus Christiana plebs, neque studiis partium tamquam factionibus distrahetur: Schismatis imminentis periculum evanescet: vigeat pax & concordia, neque posthâc Heterodoxi nobis exprobrabunt, quod Majores nostri in Lutheranos & Calvinistas justissimè olim intorquebant, nos tamquam Cadmaeos Fratres mutis digladiationibus & vulneribus concidere.

Deus pacis & consolationis sit cum omnibus Vobis, quæque sunt Ecclesiæ suæ hâc miserâ tempestate salutaria, atque unice necessaria, Spiritum disciplinæ, Spiritum mansuetudinis Spiritum obedientiæ erga Præpositos vestros, Spiritum humilitatis & sinceræ devotionis, Spiritum veri amoris & charitatis in proximum inspiret cordibus Vestris & Cœlesti suâ gratiâ augeat, atque in finem confirmet, ut cum venerit

*Prim-*

†. *Concil. Mediol. l. i. tit. 5.*

§. *ibid. 3.* †. *Instruct. p. 2. c. 2.*

*Princeps Pistorum & Episcopus animarum vestrarum* Christus  
*Jesus, percipiatis immarcescibilem gloria Coronam, quam om-*  
*nibus & singulis precamur ex animo.*

Mechliniæ in Palatio Nostro Archi-episcopali  
 12. Octobris. 1692.

HUMBERTUS GUILIELMUS  
 Archiepiscopus Mechliniensis.

## TESTIMONIUM

SANCTISSIMI D. N.

## INNOCENTII

PAPÆ XII.

**Q**Uod attinet ad *Epistolam Pastoralem*, de  
 qua prædictis in litteris loqueris, zelum  
 tuum jam pridem commendare non omisimus.

*Ex Brevi Apost. ad Nos dato die 27. Septemb.*  
*ultimi, quod se refert ad aliud Breve antehac ad Nos*  
*datum.*

FINIS.


IS  
l-

li

s  
s.


e  
l

s


















Joachim  
a  
Jesus m  
ria de  
modo  
gano

Th

448